

IX. B. 101.

55.

~~LXIII~~ ~~X~~  
~~XXI~~ ~~III~~ ~~9~~ ~~∞~~

2

1

De  
EVICTIIONIBUS

Indultu Magnifici Amplissimiq;  
Jctorum Ordinis

PRÆSIDE

*VIRO Nobili, Amplissimo & Consultissimo*

DN. MICHAELE LEDERERO,

J. U. D. Facultatis Juridicæ Assesore, ac In-  
clytæ hujus Reipubl. Consule gravissimo  
Patrono.

PRO LICENTIA U. J.  
disputabit

JULIUS ERNESTUS Schrödter /  
Dannebergensis.

*ad d. Septembr.*

---

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,  
Academiæ Typogr. Anno M. DC LVIII.

EMICITIONIBUS

Michaelis Magnifici Amplissimi

Stromm Ordinis

resiste

no modo ...

DR. MICHAEL F. LEDERER

J. D. D. Facultatis Juridicae Aulicae

clausulae ...

The ...

...

In ...

...

...

...

...



Ad  
*Clarissimum ac Præstantissimum Virum,*  
**JULIUM ERNESTUM**  
**SCHROEDTERUM J.U.C.**  
cum Pro Licentia disputaret.

**H**æcenus sudor laborq̄, pervigilq̄, industria  
Strenuas egere partes, te tulere & ad hoc loci,  
Unde culmen in supremum proximus gradus  
patet;

Stat Themis revincta crines circulo aureo & manu  
Ventilat laurum virentem, premium excelsum tibi,  
Pulverem istum ubi vicisti. Tende robur ingens,  
Tende, SCHROEDTERE, ecce, meta, meta summa in  
proxima est:

Quam semel modo attigisse in posterum semper beat.  
Hoc Themis despondet alma, Themidiq̄, applaudit fa-  
vens

Cypris, atq̄ candidum omen sternuit ter & quater  
Næ venustus ac beatus, biga cui Divum hæc favet!

**AUGUSTUS BUCHNERUS P.P.**  
& Academia Senior,



## Præloqvium.

**J**urisprudencia nostra S. S. *quæ aliarum disciplinarum omnium Regina esse meretur*, uti non in nudâ Theoriâ consistit, ita nec solâ Praxi perficitur. Theoria eqvidem basis ac fundamentum totius Jurisprudentiæ; Praxis verò usum ac commodum ipsius Juris exhibet. Non itaq; juvat nimis inhærare subtilitatibus illis Theoreticis omniaqve antiqva expiscari velle, nisi quoque de eo, quod nostro tempore in frequenti usu versatur, solliciti simus. Hi enim, dum unicum antiquitatis studium eruere conantur, si forum accedant, in alterum quasi orbem sese delatos putant. Hi autem qui totam Jurisprudenciam in praxi tantummodò consistere existimant, neglectis fundamentis solidis & rationibus firmis, id quod intendunt, minimè penetrant, & quando ad rem ventum est, multoties impingunt, & secundum vulgatum il-

A

lud

lud, *quasi*mus in pice *haerent*. Theoria itaq; fundamentalis cum utilissimâ praxi conjungenda, ut probè jactis fundamentis, ea quæ in foro versantur via solita in forum deducere queamus. Hanc ob rationem motus, loco disputationis Inauguralis proponere decrevi ejusmodi materiam, EVICTIONUM scilicet, quæ quidem Theoriam sive accuratam cognitionem ante se requirit, utilitas tamen ejusdem sive praxis omninò quotidiana est. Quod dum facio ante omnia de ordine ac methodo sollicitus sum; ne si res explicare incipiam, obruat prolixitas: si summas tantùm attigero, ne minus lucidè appareat difficilis materia. Quapropter secutus maximè naturæ ordinem. In principio de Origine, Defin. Divisione, ac fine Evictionis dicam. Dehinc in quibus causis præstanda sit evictio, quibus personis, à quibus, & quomodo caveatur, tum de re, quæ sitis, ut aliquis præstationem exigere possit, & quomodo illa præstatio sit petenda. Tandem de Actionibus quæ ex naturâ Evictionis descendunt. Quod ut felix faustumq; sit, DEUS ex alto jubeat!

CAPUT



CAPUT PRIMUM.  
De Origine, Definitione, Di-  
visione ac Fine Evictionis.

SUMMARI A.

- |                      |               |
|----------------------|---------------|
| 1. Origo Evictionis. | 5. Definitio. |
| 2. Etymologia.       | 6. Species.   |
| 3. Homonymia.        | 7. Finis.     |
| 4. Synonymia.        |               |

I.

**R**ectè inquit Jctus Ulpianus in *L. I. ff. de Action. empt. & vend.* Nihil magis bonæ fidei convenire, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est. Unde Cicero *lib. 1. Off.* fidem ab eo derivari existimat quod fiat quod dictum est. Hæc enim aurea vox apud præcos erat: *Inter bonos benè agere oportet. Id. l. 3. Offic.* Adeoq; sacro-sancta præcis & erat fides & habebatur ut in turpissimis haberent, semel datam fidem fallere, *L. 1. ff. de constitut. pecun.* Quà de causâ Romæ templum fidei extructum fuisse refert *Dyon. Halicarn. l. 2.* Quamvis autem sancta & constans semper inter antiquos erat fides, ut ne latum quidem unguem à promissis recederent, postea tamen, cum seculum in pejus rueret, studium fidelitatis quoq; exulare cepit, ut id quod antea in hominum fide positum erat, in Legis nexum deducere necesse esset. Cùm enim quamplurimum accideret, ut promissâ non adimplerentur, quia res promissâ non erat in bonis promissoris, & ita facilè à manu accipientis extorqveri poterat: ideoq; saluber-

rimum Evictionis remedium introductum est, ut ei qui rem alienam, quam in iusto titulo acqviserat, habere non potest hac ratione consulatur.

II. Ne autem securus vocum, rerum jacturam faciam ut Etymologiam evolvam, ipsa me methodus jubet. Dicitur itaq; Evictio ab *Evincendo*, quod idem est, quam vincendo extorquere. *Liv. lib. 2. Omne id tempus cum conjuratis absunt evincuntq; instando.* Evincere enim est quasi legitimo certamine vincere i.e. cognitione Judicis; & quidem non tantum vincere, sed quoque rem abducere *arg. l. 57. ff. h. t.* Evicta autem res tum demum dicitur, quando ita amittitur, ut emptor illam rem amplius habere non possit, & omnis ipsi spes adempta sit *L. 34. §. 1. & L. seq. ff. h. t.* Neq; dubitationem aliquam movere potest, quod extorquere nimis durum videatur, germanicè *mit gewalt abdringen.* *Vim enim facere non videtur is, qui jure suo utitur & ordinariâ actione experitur. per text. in L. 155. ff. de R. J. Godof. ad h. t. in rubr. lit. g. Caball. tract. de Eviction. prefat. n. 1.*

III. Consideratur Vocabulum Evictionis dupliciter, vel *absolute* & in se, quando res ita evincitur, ut non amplius sit in bonis nostris. *Caball. prefat. tractat. de Eviction. n. 1.* Vel secundò accipitur *relate*, quatenus à venditore Evictio præstanda venit emptori, ut si res ab alio evincatur, emptor tam ratione pretii quam interesse indemnitas servari queat. Quo in sensu posteriori vocabulum hoc Evictionis in rubr. *ff. h. t.* à compilatoribus Juris nostri accipitur, quasi dicerent, *de evictionibus præstandis*, uti hoc ipsum vocabulum, quando in jure nostro occurrit, ita plerumq; accipi solet. Quemadmodum enim dicimus: *præstare culpam & dolum*, ut eo nomine nobis

nobis satisfactio fiat, quando alius dolosè agit, aut propter propriam culpam nos damno afficit, ita quoq; dicimus, *præstare Evictionem*, ut eâ ratione si res evincatur emptori succurri possit. *Frantzck. ad h. t. n. s.*

IV. Synonymiam quod concernit. Evictio absolute considerata, dicitur german. *Entwehrschaft*: Relatè autem considerata, dicitur *Gewehrschaft* / quod præstetur Autoritas, ne res evincatur. Si verò ejusmodi Autoritas, sive *Gewähr* oder *Gewehrschaft* deficiat, tum sequatur evictio. Vocabulum enim *wehren* / idem est quod præstare, confirmare, securum reddere v. c. *will dich gewehren / einem seiner Bitte gewehren*. Appellatur quoq; *eine schadlos haltung*. *Wehner. Obs. pract. verb. Gewähr / & Ruding. Cent. 2. Obs. 5.* Utimur autem hoc vocabulo *Gewähr* sive in judicio, sive extra judicium. Hoc modo non nunquam possessionem rei denotat *per Text. in Lande. lib. 1. art. 9. vers. wer auch den andern*. Aliquando, quando emptor præstationem evictionis à venditore exigit, uti superius demonstratum, *bestelle mir die Gewähr*. In judicio autem sumitur pro cautione, quam Actor reo præstare tenetur, quæ alias *Gvaranda* dicitur, & hujus utilitas duplex est: Primò enim Actor se obstringit, si reus ab alio quodam conveniatur se velle reum defendere. Altera utilitas illa est, quod præstità hâc *Gvaranda*, actor amplius libellum mutare nequeat. *Dn. Carpzov. in Jurisprud. For. p. 1. Const. 4. per tot. Chil. König. in procesf. Judic. cap. 49. n. 3. 4. & seqq.* Gracè dicitur *Βεβαιωσις*. *Cujac. in paratit. C. h. t.* sicut autoritas & actio pro Evictione. *l. ult. ff. h. t. Βεβαιωσις dinn. Suidas & Pollux. l. 6. Budæus ad h. l. & in comment. ling. Grac. D. Tabor. ad Colleg.*

*leg. Argentor. b. t. n. 2.* Gallicè hæc ipsa Evictio dicitur *Lagarantie à garantir; Nathan. de Duez. lexic. German. Gallic.* quod idem est, quam autoritatem dare assecurare. Ita nuperrimè Legatus Svecicus **Bieren Klaw** in comitiis Franckofurtensibus petiit à Statibus Imperii **die garantie der beyden Herkogthümer Bremen und Pommern** / uti ex relationibus illius temporis constat.

V. Traditâ superius duplici acceptione Evictionis, illa ipsa nunc quoq; dupliciter definienda vel potius describenda venit. Et quidem Evictio absolutè & in se considerata, ita definitur; **quod sit rei nostræ; quam adversarius legitimo titulo acquisierat, per judicem facta recuperatio.** *Wesensb. in paratit. b. t. n. 1. & Treüt. vol. 2. dist. 2. l. B.* Loco generis in hâc ipsâ definitione posuimus Recuperationem, tanquam latius patentem, quam ipsum definitum. Dicimus enim Recuperare quocunqve modo, sive id legitimè sive illegitimè fiat. Et quidem hâc ipsâ evictione recuperare possumus res nostras vel corporales vel incorporales, vel mobiles vel immobiles, sive adversarius noster eas acquisierit, titulo emptionis, permutationis, sive aliis legitimis causis. Omnino autem in hâc recuperatione requiritur Judicis declaratio. Non enim propriâ autoritate & quidem vi vel coactione aliquis rem suam repetere potest, sed necesse habet Judicem adire, ipsiusq; declarationem implorare. Quod si quis propriâ autoritate possessionem alicujus rei apprehendere voluerit, eo ipso dominium ejusdem amittit. *L. 7. C. unde vi l. 13. ff. quod. met. caus. Schneidw. ad Tit. de Action. p. m. 1107.* Evictionis relatè considerata, de

de quâ in hoc ipso discursu potissimum nobis tractatio  
instituenda, descriptionem quod attinet, non reperio  
eamdem ab aliquo Autore traditam esse: videtur tamen  
quod sequenti modo describi possit: quod sit rei  
venditæ, vel ex aliâ justâ causâ accipienti  
traditæ: legitima defensio eo fine institutâ  
ut re iudicio ablatâ pretium ac interesse ab  
alienante accipienti restituatur. Quâ de-  
scriptione naturam Evictionis aliquo modo saltem de-  
lineasse, sufficiat, res ipsa autem ex subsequenti tractatio-  
ne dilucidius apparebit.

VI. Evictio hæc quadruplex est 1. Expressa. 2. Ta-  
cita. 3. Solennis, & 4. Impropria. 1. Evictio *expressa*  
quando quis à venditore nomine Evictionis duplum sti-  
pulatus est, quo casu dicitur emptorem sibi expressè pro-  
pexisse de Evictione. *L. non ex eo. C. h. t.* 2. *Tacita Evictio*  
est, quando venditor quidem expressè de Evictione se  
non obligavit; nihilominus tamen ex naturâ hujus contra-  
ctus de eadem Evictione etiam quoad interesse empto-  
ris *uti not. Salic. in L. si venditor. ff. d. Eviction.* tenetur.  
Quæ præstatio tanquam proprietas quædam huic ipsi  
contractui inesse censetur. *per L. Si fundus 6. L. emptor*  
*37. § L. 60. ff. h. t. L. non dubitatur 6. C. eod.* 3. *Evictio So-*  
*lennis*, quando fidejussor verborum solennitate interce-  
dit. *L. blanditus C. de fidejuss. L. autore. C. d. Eviction.* 4. *Im-*  
*propria* est, quando Venditor in genere pactus est, ne de  
Evictione teneatur: licet re evictâ quoad interesse libe-  
retur, nihilominus tamen obligatus manet quoad resti-  
tutionem pretii, *L. Emptorem. §. fin. ff. de Action. empt. §*

*vendit.*

*vendit. L. non dubitatur. C. de Eviction. secus si specifica-  
retur à certâ personâ L. qui libertatis. in princ. ff. de Evi-  
ction. Caball. §. 2. n. 24.*

VII. Finis sive causa, propter quam introducta  
evictio illa est, ut Emptor indemnus servari possit, si res  
evicta sit ut pretium & quod ipsius interest à venditore  
consequi possit *L. 61. & L. 70. ff. h. t.* Cum enim venditor  
factâ traditione ab obligatione principali liberetur, neq;  
ex contractu emptionis & venditionis amplius agi possit  
ad præstationem, *L. 15. §. 6. ff. de Re Jud.* quia hâc ratione  
dominium transfertur, si venditor dominus fuerit  
quemadmodum & in aliis obligationibus, *L. 91. §. ult. L.  
131. §. 1. ff. d. V. O. L. 27. ff. d. fidejuss.* & tñ. ita tradere debet,  
*ut habere liceat* i. e. ne res vendita emptori auferri possit.  
*L. 30. §. 1. ff. de Action. empti & vendit.* Necesarium vi-  
sum est, ut traditione factâ auctoritatem evictionis, quæ  
succedat in locum rei venditæ post evictionem sablatio-  
nem præstet: siquidem aliter obligari non potest *uti in-*  
*quæ Paulus lib. 2. sentent. tit. 17. in princ. Bart. ad L. 38. §. qui*  
*hominem 3. ff. de solut.* Hâc occasione non incongruè  
quæritur, quæle pretium re evictâ à venditore sit reddend-  
um: *An ejusmodi, de quo inter partes tempore vendi-*  
*tionis conventum est; an autem tale, quod est tempore Evi-*  
*ctionis?* Et quidem respondetur, omnino hic intelli-  
gendum tale pretium, quæle fuit tempore venditionis.  
*per L. 13. ff. h. t.* Et hoc non absq; ratione. Si enim ma-  
jus pretium fuerit tempore Evictionis, tunc emptor non  
tantùm nomine pretii, sed ad interessè quoque agere  
potest. *Garcias d. expens. cap. 18. n. 5. & 6. Duar. ad. L. 10.  
C. h. t. Zœsius ad h. t. n. 5.*

CA-

## CAPUT SECUNDUM.

In quibus præcipuè causis præstanda sit Evictio, quibus personis, & à quibus, & quomodo caveatur.

### SUMMARIÆ.

- |                                   |   |
|-----------------------------------|---|
| 1. Generalis enumeratio causarum. | 7. De Donatione.                          |
| 2. De Emptione & Venditione.      | 8. De Legato.                             |
| 3. De Locatione & Conductione.    | 9. De Feudo.                              |
| 4. De permutatione.               | 10. De rebus Incorporabilibus.            |
| 5. De Transactione.               | 11. Quinam præstent Evictionem, & quibus. |
| 6. De Datione insolutum.          | 12. Quomodo caveatur.                     |

#### I.

PRæmissis in capite præcedenti, quæ ad generalem Evictionis cognitionem conducere videbantur, consequens est, ut secundo loco nunc dispiciamus de præcipuis causis, in quibus Evictionis præstatio locum habeat. Et quidem generaliter Evictio præstanda venit in omnibus ferè causis, quæ in contractum deduci possunt, sive sint mobiles sive immobiles, sive corporales sive incorporales. *Frantzk. ad h. t. n. 20. sive principales sive accessoria. L. 7. L. 8. L. 64. L. 33. ff. d. Edil. edict.* De quibus

#### B

bus posterioribus notandum in his non præstari Evi-  
ctionem, nisi nominatim ita inter Contrahentes a-  
ctam sit. *arg. l. 26. ff. d. Action. Empt. & Vend. Nicol. Bur-*  
*gund. d. Eviction. c. 46. n. 3.*

II. Dixi supra in *c. 1. n. 1.* Evictionem propter  
contractum *Emptionis & Venditionis* esse inventam;  
ex quo tantò certius constat ex contractu *Emptionis &*  
*Venditionis* directam actionem pro evictione compe-  
tere uti patet ex *b. t. ff. & C. b.* Est enim evictio de  
naturà hujus contractus, *Dnus. Carpzov. l. 5. Respons. Resp.*  
*43. n. 5.* ut quamvis venditor specialiter Evictionem non  
promiserit, nihilominus ex ipsà hujus contractus natu-  
rà & proprietate ad præstandam Evictionem teneatur  
*l. 9. l. 60. ff. b. t. l. 6. C. eod. In l. ult. C. de comm. rer. alienat.*  
talia verba extant: *Licet nullum Instrumentum inter-*  
*cesferit aut quicquam specialiter convenerit.* Imò Ven-  
ditor Emptore postulante vel statim ab initio contra-  
ctus vel post longinqui quoq; temporis spatium de E-  
victione promittere tenetur, *l. 6. l. 37. l. 40. ff. b. t. l. 6. C.*  
*eod. Frantzk. ad. b. t. n. 7.* ubi quam plurimas hujus Regu-  
læ ampliationes recenset. Quod si Venditor recisivo  
venditionis contractu Evictionem præstare nequeat,  
ad restitutionem pretii obligatus est. *Schneidw. §. A-*  
*ction. Institut. n. 43. de Action.* Hic enim bonæ fidei con-  
tractus non patitur, ut Emptor rem amittat & preti-  
um Venditor retineat. *L. ex empto. n. §. ult. ff. d. Action.*  
*empt. & vend.* Si autem plures rei unius sunt Vendito-  
res, pro indiviso singuli in solidum tenentur. Quia  
enim Venditionis natura Individua, in solidum de-  
fendi debet. *L. 139. l. 2. vers. ex bis. ff. de V. O.* Ideoque  
ex



ex natura hujus contractus plures Venditores in solidum tenentur. *Andr. Gail. l.2. obs.14. n.1. Dnus. Carpzov. Jurisprud. For. p.2. c.34. def.29.* Quando autem expressè inter Contrahentes actum est, ne Emptor præstationem Evictionis exigere debeat, aut ipse Emptor scienter rem alienam emerit; in his casibus aliter sentiendum videtur. Et quidem priori casu vel Venditor vendidit scienter rem alienam, & tunc pretium cum interesse Emptori restituere tenetur, *per l.ii. §. fin. ff. d. Action. empt. & vend. ibi nisi forte sciens: Vel ignoravit, & tunc pretium tantummodò restituere debet d. l.ii.* Posteriori autem casu neq; pretium neq; quod interest Emptori restituere necesse habet Venditor, nisi expressè inter partes de Evictione cautum sit *l.27. C. h.t. l.14. §.9. ff. d. Ædil. Ed. Dnus. Carpzov. p.2. c.34. d.25. n.6.* Si enim expressè conventum esset de non repetendo pretio, ejusmodi conventioni omninò standum est, quia tunc Emptor videtur emere dubium eventum, quemadmodum ille qui jactum retis emit à piscatore, nihilominus solvere tenetur, quamvis nihil ceperit *d. l. exempto §. fin. l. si jactum retis 12. ff. d. Action. empt. & vend. Dnus. Carpzov. p.2. c.34. def.22.* Ita quoq; Venditor non tenetur de Evictione si res emptæ per violentiam emptori auferatur, *l. ult. C. de Act. empt. & vend. sec. illud German: Für gewalt ist man zur gewehren nicht schuldig.* Quia injuria quæ fit Emptori, non debet, afficere Autorem *l.51. ff. de Evict.* neque Venditor de casibus futuris tenetur, *l.ii. ff. de Evict.* aut casum fortuitum præstat. *Cab. §.5. n.ii. antea cit. Dnus. Carpzov. p.2. C.34. def.25.* Deniq; non tenetur venditor

tor de Evictione proventuum annuorum crescentium & decreſcentium: ob eam rationem, quia ſibi ipſi imputare debet, quod non cautius ſit mercatus *L. qui cum alio, ff. de R. J. Hartmann. Piſt. Obſerv. 212. n. 6.* Præterea nunquam, ferè ſemper una æqualitas horum proventuum exiſtit, nonnunquam enim minores, altero verò anno majores reperiuntur: adeoque hoc in caſu omninò periculum ad Emptorem pertinet. *arg. l. pupilli. §. 2. & ib. Paul. de Caſt. ff. d. ſolut. & ita pronun- ciatum in caſu Thiloen von Seebach referi Dnus Carpzov. p. 2. c. 34. d. 41.* Ultimo loco duæ quaſtiones hic annectendæ, 1. *An Venditor hæreditatis quoad Evictionem rerum ſingularium teneatur?* Et Reſponde- tur, quod non: *per l. i. C. h. t. Zoëſ. ad. b. t. n. n.* Quia jus ſucceſſionis adeoq; ipſa Univerſitas, quæ augmen- tum & diminutionem recipit, in venditionem venit, non autem res ſingulæ, quas ſi Emptor vindicare con- ſtituit, necesse eſt ut de illis proprio periculo & ſum- ptibus conveniat poſſeſſores, *d. l.* non autem Evictio- nem illarum rerum exigere poteſt à venditore. Hic enim hæreditatem ſive Jus univerſum hæreditarium ipſi vendidit, non res hæreditarias. Secus tamen, ſi ita conventum ſit inter emptorem & venditorem. Tunc enim propter ejuſmodi conventionem Evictio omninò ab Emptore præſtanda venit. *L. 45. ff. d. contr. empt. Nicol. Burgund. de Evict. c. 10.* 2. *Quæritur: An Creditor de pignore alienato, ſi illud ab alio evincatur, de Evictione teneatur?* Et videbatur dicendum, quod ſic, ſiquidem vices venditoris ſuſtinet. Adeoq; quem- admodum venditor evictionem præſtare necesse habet  
empto-

emptori, ita quoque creditor. Sed negativa sententia in puncto Juris verior *tot. tit. C. cred. Evict. pig. non debere.* Quia Creditor hoc in casu minimè obligatur, ita ut neque ad restitutionem pretii compelli possit; venditor enim pignus, jure Creditoris, sive eo Jure, quo debitoris fuit vendidit ita ut sibi imputare debeat Emptor, quod conditionem rei aut venditoris non melius exploraverit *l. i. h. t. C.* Habet tamen Emptor pignoris actionem utilem adversus debitorem exempto, *l. 20. §. 1. ff. d. distr. pig.* huic enim pretium acceptum profuit, *l. 13. C. de Evict.* & tenetur Creditor Emptori cedere actionem pignoratitiam contrariam, quã tamen Emptor nihil magis consequi potest, quam quod citra periculum Creditoris futurum est *l. 38. ff. de Eviction. d. l. 13. ff. de distr. pign.* si verò creditor promiserit debitorem esse solvendo, excusatione factã, quod à debitore assequi non potuerit, regressum habet Emptor adversus creditorem. *Molinaus de Usur. qv. 62. n. 413.* Quapropter creditor ab ejusmodi obligatione exemptus esse cupiens, quatuor omninò præstare tenetur, 1. rem sibi esse obligatam, 2. se potiore esse reliquis Creditoribus, 3. nihil fraude aut dolo à se esse factum, 4. Quod habuerit liberam potestatem pignus distrahendi. Quod si præstiterit, de Evictione non tenebitur, nisi expressè ita promiserit, tunc enim ex conventionione tenetur, quia servanda est conventio *l. 2. ff. h. t.* Hoc casu tamen quando Creditor de Evictione ab Emptore conventus, pretium illi præstitit; cum nondum sit assecutus debitum, à debitore illud exigere potest, imprimis si pignus bonã fide & non aliter quanti vendidit, vende-

re potuit. *L. 12. §. 1. ff. de distr. pign. Anth. Perez. præ.  
ad C. h. tit.*

III. Quamvis autem superius traditum sit, Evictionem principaliter propter emptionem & venditionem adinventam esse, successu tamen temporis, constitutionibus Principum & prudentum interpretationibus ad alias quoque causas cum emptione & venditione aliquam similitudinem habentes, extensa est. *L. 52. utrum ex causa emptionis an ex alia, ff. d. Evict. l. 29. C. eod. l. 8. C. d. sentent. & interloc.* Cum itaque locatio & Conductio proxima dicatur emptioni & venditioni *l. 2. pr. ff. locat. pr. Institut. d. locat. & conduct.* ita ut propter ejusmodi familiaritatem nonnulli dubitarint, utrum sit emptio & venditio, an verò locatio & conductio. *Jctus Gaius d. l. 2. §. 1. & §. 3. Instit. d. l.* Ideoque omninò dicendum in hoc contractu evictionem esse præstandam. *L. 35. ff. locat. Caball. §. 4. num. 56.* Neque interest, an scienter rem alienam locaverit; an verò ignoranter, utroque enim casu tenetur. *L. 15. §. 8. ff. locat. Dnus. Frantz. hic. num. 412.*

IV. Tertia causa, cui Evictio adhæret, est permutatio, *l. 29. C. d. Evict. l. 1. C. in fin. de rer. permut.* quæ vicina est emptioni & venditioni, *L. fin. ff. d. rerum permut.* adeo ut uterque permutantium loco emptoris & venditoris habeantur. *l. 19. §. 5. ff. de edil. Ed.* Quæ de causâ veteres Sabinus & Casius permutationem pro specie emptionis & venditionis habuerunt, quibus Proculus contradixit statuendo: permutationem omninò contractum ab emptione & venditione distinctum esse, quæ sententia autoritate Imperatoriâ approbatâ obtinuit.

nuit. §.2. *Instit. d. empt. & vendit. Gothofr. ad l.2. C. de rer. permut. lit. E.*

V. De *Transactione* non simpliciter statuendum, sed hic cum Dno. Frantzkio *d. l. n. 413. distingvendum. An ejus causa aliquid datum; an vero penes alterum dimissum sit*: Priori casu, qui transactionis causa aliquid dat, omninò de Evictione tenetur, ob eam rationem, quod Evictio in quâcunque causâ onerosâ teneatur, quamvis de eâ nihil actum, *l. 11. pr. ff. d. Action. empt. & vend. l. 6. C. d. Eviction. & hoc in aliis contractibus præter emptionem & venditionem obtinere, constat ex l. 29. C. de Evict. l. 1. ff. d. rer. perm. l. ult. ff. d. condition. caus. dat. l. 9. ff. locat. Cabal. d. Eviction. §. 4.* Nam quicquid ex transactione percipitur, titulo oneroso fit *uti clarum ex l. 33. C. d. transact. & ita pernunciat: ref. Dnus. Carpzov. p. 2. const. 34. d. 28.* Posteriori autem casu, quando nihil datum sed dimissum & à lite discessum est, quia res controversa possessori relinquitur, Evictio minimè præstanda venit *uti sentiunt ant. cit. Dnus. Frantzk. & Dnus. Carpzov. d. l. Hartman, Pist. Ob. 127. n. 38.*

VI. *Datio in solutum* præstationem evictionis requirit, & hujus nomine actio pro Evictione competit. *l. 4. C. b. tit. l. 24. ff. de pignorat. action. l. 8. C. de sentent. & inter loc. l. 98. de solut.* Quamvis enim reverà non sit venditio, tamen vicem ejusdem obtinere dicitur, *l. 4. C. d. Eviction. l. fin. ff. quibus ex causis in possess.* quando nimirum pro pecunia mutuò datâ res aliqua in solutum datur, eo ipso emptio aliquo modo contracta esse videtur.

VII. Do-

VII. Donator autem nudo saltem pacto interveniente, minimè de Evictione tenetur, nisi stipulatio accesserit, se velle Evictionem præstare *L.2. C.b.t.* Et ratio est in promptu. Si enim propter rem donatam evictam donatarius pretium à donante repetere posset, is pœnam liberalitatis suæ pateretur. *L.62. ff. de edil. ed.* Quod si tamen aliquis sciens rem alienam esse, alteri ignoranti donaverit, ipsi competit actio de dolo ratione sumptuum quos in rem donatam fecit, *per text. in. L. Aristo. §. fin. ff. d. donat. ibid. gl. & Doct. com. l.8. §. ult. ff. h.t. & d. l. 62. Gomez. Tom.2. c. 2. n.35. Burgund. de Evict. c.16. & seqq.*

VIII. Si testator certam speciem alicui legaverit puta Stichum servum hæres ejus non tenetur de Evictione, sed sufficit, quod is traditionem talem, qualis res ipsa erat *l.45. in fin. ff. de Leg.1.* fecerit, quo facto liberatur, non enim plus legare potest testator, quam Jus quod in re legatâ habet *l.71. §. fin. ff. de Leg.1.* Ita ut re evictâ ad interesse hæres non teneatur. Causa enim lucrative nunquam Evictioni obnoxia. *Bart. & alii ad d. l.71. §. fin.* si verò testator rem in genere legaverit, præsumitur testatorem velle, ut illa res fiat legatarii, & tunc in voluntate hæredis non consistit, ut rem alienam dando voluntatem testatoris elusoriam reddat *l.28. ff. h.t. Frantzk. de Eviction. n.465.*

IX. Feudum quoq; causa est, in quo Evictio præstanda venit, si evincatur. Generaliter enim verum est *in Feudis Dominos de Evictione teneri 2. Feud. 80. & 87.* Et quidem res aliena vel ignoranti in Feudum data est, & tunc Dominus ad præstationem alterius

rei

rei ejusdem bonitatis & quantitatis unâ cum inter-  
esse tenetur, *cap. 1. de Investit. de re alien. Fact. 2.*  
*F. 8. & ibid. gl. vel scienti & tunc non debetur evic-  
tio, nisi expressè promissa sit. gl. in §. si quis d. Feud.*  
*dat. in vic. Leg. com. 1. F. 27. Isernia. ibid. n. 2. Rosenthal*  
*de feud. c. 4. conclus. 11. Schr ad. p. 3. c. 2. n. 6. Dnus. Frantzck.*  
*d. l. n. 517.*

X. Non autem tantummodo præstanda ve-  
nit Evictio in rebus corporalibus, sed quoque in in-  
corporalibus, nimirum servitutibus & quidem tam  
personalibus quam realibus. Quod usu fructum at-  
tinet, illo evicto actio non minus Emptori compe-  
tit, ac si ipsa res corporalis evicta sit *l. 49. ff. h. t. ubi*  
*Jctus Cajus inquit: Si ab emptore usus fructus pe-*  
*tatur, perinde is venditori denuntiare debet, atq; is*  
*à quo pars petitur conf. l. 66. ff. d. contr. empt. & vend.*  
Ratio illa est, quia usus fructus per totum fundum  
diffusus est, ejusque emolumentum omne continet,  
*l. 66. §. 6. ff. de legat. 2. l. 1. l. 7. l. 9. & passim ff. de usufr.*  
& instar partis est, *l. 4. d. Usufr. l. 76. §. 2. d. legat. 2.*  
*in fin. quoniam fructus portionis instar obtinet, l. 58.*  
*pr. d. V. O. ibi. similis est ei.* Jam autem ob partem  
evictam tenetur venditor. *l. 1. ff. de Evict.* Idem  
quoque de usu alioque simili jure dicendum. *l. 38.*  
*§. 13. d. V. O. Dnus Frantzck. ad t. d. Eviction. n. 87. 90.*  
Servitutes reales seu prædiales tam urbanorum *l. 2.*  
*ff. d. S. P. V.* quam rusticorum *l. 1. ff. d. S. P. R.* quod  
concernit, in his quoque præstanda est Evictio. Quan-  
do enim Prædium sive urbanum sive rusticum ven-  
ditum est, ita quidem ut nulla fiat mentio servitu-  
tum;

C

tum; servitutes quæ in prædio illo constitutæ sunt, tanquam puræ putæ commoditates fundi tacitè ad Emptorem transeunt *l. 25. d. S. P. R. l. 47. ff. d. contrah. empt. & vend.* Quod si venditor tales servitutes sciens reticuerit, easque Emptor propter ignorantiam per Leg. fin. infin. C. d. præscript. longi temporis non utendo legitimo tempore amiserit, ex empto ob dolum tenebitur *l. 66. §. 1. ff. de Contr. empt. & vendit.* Et quidem hæc ita obtinent in servitutibus constitutis, secus tamen in servitutibus constituendis. De his enim non tenetur venditor, nisi specialiter promiserit, *d. l. 66. pr. verbis: quidam ita de- num. ff. d. contrah. empt. & vendit.* quod quoque obtinet in illis servitutibus, quæ tacitè accesserunt, si enim illæ evincantur, de evictione venditor non tenebitur per Leg. pen. ff. b. t. Ubi Ictus Venulejus inquit: *Nec enim Evictionis nomine quisquam tenetur in eo jure, quod tacitè solet accidere. Frantzk. cit. l. n. 91. & seqq.*

XI. Postquam percepimus, in quibus causis præstanda sit evictio, nunc quoque dicendum de personis, quæ Evictionem præstare necesse habeant, & quibus. Et quidem cum ex antea dictis hæc uberius cognosci possint, breviter hic me expediam. Tenetur itaque de Evictione *Autor sive Venditor*, qui proprio nomine non alieno aut necessitate officii emptori vel alii justo titulo tradiderunt *l. 1. ff. b. t. l. 16. in fin. C. de Evict. Frantzk. b. n. 566.* ejus hæredes. *l. 9. l. 21. l. 23. C. b. t. l. 51. §. 3. ff. eod.* Et fidejussores, qui à venditore in hunc finem dati sunt, *l. 41. §. 2. ff. b. t.*



l.7. l.18. in fin. C. cod. & eà de causà secundi autores appellatur l.4. ff. b. t. Quod eatenus procedit, ut quamvis ipsi non denunciatum sit ab Emptore, ut iudicio adesse debeat, nihilominus rectè conveniri possit, per l.7. C. b. t. sufficit enim denunciatum fuisse principali venditori. Quamvis autem, uti iam dictum, venditor de Evictione teneatur, ipse tamen rem venditam evincere non potest per Reg: vulgaram: *Quem de Evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.* Dd. ad l.17. ff. b. t. *Wesemb. parat: d. except. rei vendit. § tradit. n.2.* Neque ejus hæredes, qui si rem evincere velint, exceptione doli mali removentur, l.73. fin. ff. b. t. neque fidejussor venditoris, per Reg. ant. alleg. neque ejus hæredes, l.18. C. b. t. nisi jure proprio rem vindicare velint. l. fin. C. b. t. *An autem venditor, si alieno nomine, puta procuratorio, rem vendiderit, de Evictione teneatur, hic non incongruè queritur?* Et Respondetur eum de evictione non teneri, sed saltem mandati sui fidem facere debet, & tunc Emptor actione utili ad Exemplum actionis institoriaæ agere potest adversus verum dominum l.13. §.25. ff. de Action. Empt. § vend. Ant: Perez. ad h. tit. C. n.4. Præstatur autem Evictio Emptori & illis, quibus res justo titulo tradita & evicta est; ipsorumque hæredibus, in quos omnia jura defuncti transeunt, *secundum jura vulgat: Dnus. Frantzck. hic. n.546.547.*

XII. Cavetur de Evictione dupliciter, vel promissione simplæ vel promissione duplæ. In stipulatione simplæ venditor promittit, si res evicta esset

esset simplum pretium *l. 16. b. t.* una cum ipsius in-  
 teresse *l. 60. & l. 70. ff. b. t.* emptori restituere. Ita ut  
 ad hoc semper Venditor teneatur ex naturâ hu-  
 jus contractus *l. 60. ff. b. t.* Stipulatio autem du-  
 pla continet, ut Venditor re evictâ duplum non  
 bonitatis rei sed pretii conventi Emptori præster-  
*l. 53. & l. 48. ff. b. t. Wesenb. in parat. ad b. t. n. 3. & 4.*  
*Treutl. vol. 2. d. 2. 85.* Non autem regulariter satis-  
 datio necessaria; *l. 56. ff. b. t.* nisi i. de eâ specialiter  
 conventum sit *l. 4. l. 37. l. 56. ff. b. t.* Ex conventionem  
*enim contractus Legem accipit. l. 23. ff. d. R. I. 2.* Si con-  
 suetudine ita sit introductum *l. 31. §. 20. ff. d. edil. edict.*  
 Et 3. Si evictio in limine contractus, sive antequam  
 pretium sit solutum, immineat *l. 24. C. b. Sicbar. ad l. 3. b.*  
*l. Dnus Carpozov. p. 2. C. 34. def. 30. & 36.*

## CAPUT TERTIUM.

# De Requisite Evictionis, & quomodo ejusdem præstatio pe- tenda.

### SUMMARIÆ

- |   |  |
|---|--|
| <p>I. Primum Requisite E-<br/>         victionis.</p> <p>II. Alterum Requisite.</p> | <p>III. Quid &amp; quam neces-<br/>         saria sit denunciatio.</p> <p>IV. Quanam circa liti de-<br/>         nuntiationem conside-<br/>         randa veniant.</p> |
|---|--|

III

## I.

UT autem Emptor praestationem Evictionis exigere possit, potissimum duo requiruntur 1. Ut res sit evicta, *l. 21. pr. ff. b. & l. 3. C. eod.* & quidem ita, ut omnis spes habendi ipsi ademta sit *l. 35. in pr. ff. b. t.* Præterea necessitate iudicii cogente, *arg. l. Non. tn. 24. ff. b. t. ibi: illud tamen verum non sit iudicio eum evictum esse.* Neque interest, an ipsa res sit evicta, an autem emptor ipsius aestimationem solvere coactus sit, *l. 16. §. 1. l. 21. §. pen. in fin. ff. b. t. l. 66. §. 2. in fin. ff. eod.* item quo genere iudicii res evicta sit: num ex causâ emptionis vel alia; *l. 52. ff. b. t.* an autem rei vindicatione *l. 34. §. fin. ff. b. t.* vel interdicto aliquo *l. 35. ff. d. Action. empt. & vend.*

II. Alterum requisitum est *Litis denunciatio*, quæ à denunciando dicitur. *Denunciare autem apud Veteres dicebatur laudare autorem suum*: quod vocabulum accipiebatur pro *nominare*, *Gellius lib. 2. noct. c. 6.* quemadmodum & ita usurpatur *in l. 63. §. 1. ff. b. t. & in l. 6. §. si tibi ff. d. action: empt: & vend: & in l. 7. C. b. t.* Autor autem pro eo, qui rem vendidit vel tradidit, accipitur *leg. 51. & L. ult. ff. b. t.* ita ut fidejussor autor secundus dicatur *L. 4. ff. b. t.* Unde & ejusmodi defensio *Autoritas* dicitur *Paul. l. 2. sentent:*

III. Est autem *Denunciare litem motam* venditori vel alii à quo res tradita est, significare, ut is iudicio assistat & rem defendat. *Dnus Franczk. d. l. n. 657.* Et de

de hac denunciatione regula est: *Quod Emptor auctorem suum laudare teneatur, quod nisi fecerit, neque actionem ex stipulatu neq. exempto intentare potest.* l. 53. §. 1. ff. h. r. l. 29. C. eod. l. 8. C. d. sentent. & interloc. cum quibus consentit Ordin. Jud. Elect. Saxon. t. 14. in princ. An autem Emptor teneatur denunciare litem venditori scienti? de hac re plerumque controversi solet. Et videbatur dicendum, quod non sec. vulg. reg. *Qui certus est, amplius certificari non debet c. cum qvi. d. R. J. in Vito.* Cum itaq. non ignoret venditor, litem esse motam, non amplius certificari debet, ut tradit Jctus, Ulpianus l. 1. in fin. ff. de Action. empt. & vend. Jam autem præsumitur denunciationem ad certificandum fieri, ut ita sola scientia sufficiat. Dyn. in d. c. ubi plur. alleg. Verum non obstante hac ratione dubitandi communis Dd. opinio in contrarium est. *Accurs. in L. emptor. i. C. b. t. Bart. & Bald. ibid. Specul. de empt. & vendit. §. fin. in fin. & plur. vid. ap. Caball. tract. d. evictio: §. 3. n. 3. & 4.* Neque hoc absque ratione. Non enim denuntiatio in hunc tantummodo finem fit, ut venditor sciat, litem esse motam, sed quoque ut incitetur ad defendendum emptorem, *Dnus Carpz. p. 2. c. 34. d. 40. Decius Conf. 74.* Jam autem venditor melius rem venditam defendere potest, quando certior factus est ut de jure suo instructus comparere possit, *Bart. d. l. Caball. d. §. 3. n. 5. & seqq.*

IV. Circa hanc ipsam litis denunciationem porro tria potissimum consideranda veniunt 1. Cui fieri debeât. 2. Quomodo. 3. Quando. *Quod pri-*  
*imum*

num attinet, *Litis denunciatio fieri debet auctori l. 39. §. 1. ff. h. t.* si autem plures sint autores, omnibus denunciandum est. *L. 62. §. 1. ff. h. t.* Et hæc de personis, quibus sublequitur *secundò* modus sive quomodo denunciatio faciendâ. Ubi tria requiruntur I. Ut non tantum lis mota emptori notificetur, sed quoque ad defendendum requiratur *uti expresse patet ex l. 21. verb. interpellare venditorem vel ejus successorem debes, ut tibi assistant. l. 23. ibi: assistere negotio denuncia. C. h. t. l. 1. ibi: si denunciatum est, ut causa agenda adesset, C. d. peric. & commod. rei vendit.* Et ita communiter tradunt Dd. Teste Covar. 3. var. resolut. Resolut. 17. n. 3. & Caballin. §. 3. n. 30. Ex quo priori II. loco sequitur, ut venditor in ipsâ denunciatione de genere litis informetur, transmissio libello & citatione. *sec. Dd. Commun. Covar. d. l. n. 3. Caballin. d. §. n. 38. cum seq: Berlich. p. 2. concl. 24. n. 82.* Quod quoque in terris Saxonie obtinet. *Noviss. Ordinat. Judicial. Elect. Saxon. c. von der Litis denunciation. 14. vers: und ihm von dem was allenthalben von den Parteyen vorbracht.* Et quidem ut non tantum sciat Autor successori litem esse motam, sed quoque ut secum deliberare possit, quomodo postulatam defensionem institueret vel arg. *clen. causam 3. de elect. l. ff. de edend. Ummius disp. 11. d. 6. n. 31.* III. Requisitum est, ut denunciatio in scriptis fiat. *Wesenb. d. l.* Ubi tamen Consuetudo uniuscujusque loci præprimis attendenda venit. Quartum quod circa litis denunciationem principaliter requiritur est *Tempus, sive quando de-*  
num

nunciatio fieri debeat. Potest autem ejusmodi denunciatio fieri quovis tempore etiam post litem contestatam, per leg. 29. §. 2. ff. h. t. ubi dicitur, quod quolibet tempore venditori renunciari possit, modo non propè ipsam condemnationem id fiat. Dnus. Frantzk, d. l. n. 700. & seqq. Quod quoque de jure Saxonico obtinet. Ordin. Judic. t. 14. in princ. vers: Es wer- de gleich vor / oder nach der Litis contestation gesucht. Dnus Carpzov. p. 1. c. 3. Def. 29.

## CAPUT QUARTUM.

### De Actionibus quæ ex natura Evictionis descendunt.

#### SUMMARIA.

- |                                |   |
|--------------------------------|---|
| 1. Actio pro Evictione duplex. | 3. Quando hæc actiones competant vel cessent. |
| 2. De natura harum actionum.   | 4. De duratione harum actionum.               |

#### I.

Consequens est, ut nunc ultimo loco de Actionibus, quæ pro Evictione competunt, dicamus. Quarum duæ sunt, una *ex empto*, quæ est naturalis, quia semper competit, licet de Evictione nihil actum sit, & huic contractui quasi naturalis quædam proprietas semper adharet l. 37. §. 2. l. 60. ff. h. t. Altera  
ex

ex stipulatione in simplum vel duplum l. 56. ff. b. t. quasi  
accidentalis, quia hæc actio non semper competit,  
nisi de eâ specialiter actum sit. *Dnus Frantzk. h.*  
*n. 838.*

II. Porrò Actionis ex empto duo sunt capita.  
Prius primævam illius naturam respicit & ad imple-  
mentum hujus contractus tendit, ut si venditor rem  
tradere non possit, id quod interest, præstare neces-  
se habeat *Dnus. Frantzk. ad t. t. ff. d. Action. empr. &*  
*vend.* Posterius caput respicit eum casum, quando  
vacua tradita est possessio, & Emptori Lis aliqua  
movetur, quod venditor eum defendere debeat :  
*l. 74. §. 2. ff. h. t. l. 43. ff. de Action. empr. & vendit. vel si*  
*res evicta sit, emptorem servet indemnem Dnus.*  
*Frantzk. h. n. 841.* Datur autem hæc ipsa actio ex  
empto principaliter ad recipiendum pretium, dein-  
de quoque ad interesse *l. 60. l. 70. ff. b. t.* Pretium  
hic intelligitur, de quo inter partes conventum est.  
Quod quemadmodum Emptor venditori solvere te-  
netur, & venditor recipere; *l. 8. C. de rescind. empr. &*  
*vend.* ita & vicissim, postquam res evicta est disolu-  
to contractu, Emptor illud à venditore repetere po-  
test. *l. 53. verb. quanti singula venierint. ff. b. t.* In-  
teresse autem nihil aliud est quam quod emptori ab-  
est, & quantum lucrari potuisset. *l. 13. ff. d. rer. amat.*  
Ne autem hoc interesse dupli pretium excedat, &  
ita nimis excreseat, generali constitutione sancitum  
est. *lun. C. de sentent. qui pro eo, quod interest.* Nisi  
in eo casu, ubi aliquis scienter rem alienam venden-  
do dolum commisit. *l. 4. pr. l. 13. §. 5. l. 30. §. 1. l. 45. §. 1. in*  
*fin.*

D

*fin. ff. de action. empt. & vend.* Quoniam autem ratione qualitatis personarum, aliarumque circumstantiarum *Interesse* hoc nonnunquam augmentum, nonnunquam diminutionem recipit, ideoque ipsius æstimatio arbitrio Judicis plerumque relinqui solet. Sumtus litis quod concernit, sive specialiter venditor promiserit, *arg. l. i. ff. d. pact. l. i. §. 6. ff. deposit.* Si ve non, nihilominus re evicta solvendi sunt. *l. 43. in fin. ff. de Action. empt. & vend.* Quod si emptor vicerit, victus victori conderanabitur in expensas *l. 13. §. 6. C. d. Jud.* Actio ex stipulatu est vel rem habere licere vel duplæ, pro diversitate cautionum, quæ à venditoribus exigebantur *Dnus. Frantzk. h. n. 843.* Quæ actione semper certam quantitatem persequimur, de quæ inter contrahentes convenit & præcisè res ita consideratur, qualis fuit tempore contractus, ex quo differentia harum actionum satis cognosci potest.

III. Competunt hæ actiones, quando res legitime evicta est; cessant autem præcipuè 1. Quando Emptor venditori litem non denunciaverit, vel 2. scienter rem alienam emerit, *Treutl. Vol. 2. d. 2. t. b. 6. & 7. Dnus. Carpzov. p. 2. C. 34. d. 25.* aut 3. si judex iniquè judicaverit *l. 51. ff. h. v. l. 8. l. 15. C. eod. c. ult. X. de empt. & vend.* tunc enim Emptor adversus Judicem agere potest. *l. ult. C. de Action. empt. & vend. Myns. cent. 1. Obs. 54. 56. n. 5. Dnus Carpz. d. def. 25. n. 3.* 4. Cessant quando res per violentiam ablata est *l. ult. C. d. action. empt. & venditi.*

IV. Du-



IV. Durant hæ actiones, donec præscriptio-  
ne tollantur, à tempore nimirum rei evicta. *l. 70. ff. b. t.* Quando enim res nondum evicta est, dies obligationis neque ceslit neq; venit, & idè actio nondum nata, neq; currere aut legitimâ præscriptione fini potest *l. 23. ff. d. v. s.* Ab hoc itaq; termino de Jure civili triginta annorum spatium hæ actiones præscribuntur, *l. 3. C. d. præscript. 30. vel 40. annor.* ut illis non amplius postea locus sit. De Jure autem Saxonico & quidem novissimâ ejus hodiernâ observantiâ, Venditor rerum immobilium usque ad annum 31. cum anno & diebus regulariter de evictione conveniri potest; mobilium verò non ultrâ annum & diem. Ita ut hodiè Venditor tamdiu Gvarandator rei venditæ esse debeat, donec Emptor eandem juxta constitutum modum præscribat. *Dnus. Carpzov. p. 2. C. 3. d. 18.*

## COROLLARIA.

### I.

VEnationem hodiè Principes tanquam proprium aliquod Jus sibi vendicant, nisi hoc beneficium specialiter quibusdam concedere velint, *C. un. S. si quis rustic. d. pac. ten. 2. F. 27.* Cujus possessio in Principibus tempore immemoriali corroborata est. Et quidem præcipuè propter publicam utilitatē, ne homines insectando feras necessarias operas intermitterent, speciesq; ferarum ab interitu conservarentur. *Wesemb. in paratit. ff. d. acquir. rer. dom. n. 7.* Ut taceam Principibus pro salute subditorum vigilantibus hanc animi recreationem haud invidendam esse.

D 2


II. Vete-

II. Veteres Medici Herophylus & Erasistratus damnatos ad mortem vivos ex carcere protractos incidabant, ut ea quæ natura clauserat, Spiritu adhuc remanente, considerare possent. Quippe non crudele existimabant supplicio hominum nocentium remedia innocentibus quærere. Apud nos Christianos tamen hic mos planè improbatur: non enim facienda mala, ut eveniant bona. Imprimis quia ars medica ad salutem hominis tendit, non ad perniciem. *l. 1. §. 1. ff. d. extraord. crim. Marquard. Freber. lib. 1. parerg. cap. 25.* Cætera autem punitorum ex hodiernâ consuetudine rectè Medicis conceduntur; cum perfecta medicinæ cognitio non absq; Anatomicis dissectionibus comparari possit. *Francisc. Ripa. tract. d. pest. cap. d. remed. præserv. contr. pest. n. 42. Ant. Gom. Tom. 3. variar. resolut. c. 14.* ubi refert Carolum V. Imperatorem de Anno 1550. super hac re consuluisse Universitatem Salmaticensem: & respondisse Universitatem, licere. Quod quoq; probat Julius Clarus *lib. 5. sentent. qv. 100. n. 2.*

III. Liberi à Patre nobili, matre autem plebejâ procreati, per subsequens matrimonium legitimantur: quia ejusmodi nuptiæ inter nobilem & ignobilem de jure civili subsistunt, *Autb. sed. nov. jur. C. d. natural. liber.* Cujus legitimationis effectus est, ut taliter legitimatus perinde habeatur; ac si ab initio nobilis fuisset, quia partus quoad statum regulariter patrem sequitur, *l. 16. ff. d. stat. homin.* ita ut quoq; in feudis succedat, *Hartm. Pist. lib. 2. qv. 41. & seqq.*

T A N T U M.








00 A 6362

ULB Halle  
002 928 507


3



1007



ein  
A  
nis  
ter  
ste  
rhet  
eltr  
ille  
s all  
emet  
ich  
ugel  
Glu  
ros  
fre  
ris  
geh  
igel  
offi  
ovii  
en d  
9  
a ha  
er au  
riff  
st.  
m in  
n sin  
und  
eber  
n in  
cht f  
ma  
man  
3 leit  
fer  
echt  
en bl  
weis  
B vie  
lam  
fort  
an  
obte  
s leg  
d-G  
latt  
DRF



B.I.G.

Farbkarte #13

De  
**EVICTIONIBUS**

Indultu Magnifici Amplissimiq;  
Jctorum Ordinis

PRÆSIDE

*VIRO Nobili, Amplissimo & Consultissimo*

**DN. MICHAELE LEDERERO,**

J. U. D. Facultatis Juridicæ Assesore, ac In-  
clytæ hujus Reipubl. Consule gravissimo  
Patrono.

**PRO LICENTIA U. J.**

disputabit

**JULIUS ERNESTUS Schrödter /**

Dannebergensis.

ad d. Septembr.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,  
Academiæ Typogr. Anno M. DC LVIII.